A. SCHULTENS

ORATIO INAUGURALIS

DE

FONTIBUS EX QUIBUS OMNIS LINGUAE HEBRAEAE NOTITIA MANAVIT HORUMQUE VITIIS ET DEFECTIBUS.

DICTA PUBLICE

IN

TEMPLO ACADEMICO

Quint. Id. Nov. CIↃ IↃ CCXIII.

Quum Ordinariam Linguæ Hebrææ & Antiquitatum Sacrarum Profeſſionem in Illuſtri Friſiorum Academia ſolenni ritu auſpicaretur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO INAUGURALIS.

ESt gravis quædam atque vehemens opinio, quæ cum maximo literarum Hebraicarum atque veritatis Divinæ diſpendio, animos multorum, qui hæcce colunt ſtudia, pervaſit, denſaque obduxit caligine, nihil eſſe magnopere, quod poſt tot tantoſque Excellentium hominum labores, qui in hiſce ſacris il-

luſtrandis, operam ſuam collocarunt, ad eorum ulteriorem cognitionem conferri ac in lucem produci queat; tutoque iis, quæ de Verborum ſignificationibus, vi, natura, uſu, & ingenio, nobis tradidere, tam Judæi, quam Chriſtiani, acquieſci poſſe atque adhæreri.

Et hæ aliquando tenebræ, & hæ inſcientiæ & erroris tenebræ, noctem quaſi quandam offuderant menti, luciſque eripuerant uſum; ac diu mihi multumque cum earum pervicacia conflictandum fuit, antequam eas fugare, atque ab animo rejicere & diſſipare valui.

Aſt diſcuſſa tandem eſt iſta caligo; diluxit, patet, propriis cernimus oculis;

Digitized by Google

lis; depulsum est a cervicibus nostris jugum illud servile opinionum atque placitorum alienorum, quod mentem nostram, veritatemque premebat Hebræam, quam tantum abest, ut planam nobis, perspicuam, atque omni dubio vacuam, reliquerit Rabbinorum non contemnenda diligentia, ut multis undique obscuritatibus laboret; quamque adeo non ad summum splendoris & perfectionis fastigium perduxit nostrorum hominum prædicanda industria, ut ipsi contra de insuperabilibus ubivis difficultatibus ac tenebris fateri ac deplorare cogantur;

Sane quam imperfecta ad hunc usque diem Hebraicæ linguæ cognitio sit, quam non omnibus numeris ab-

ſoluta, quam nævis ſuis deformata ac maculis, quam non ea in luce poſita, quæ viam nobis tutam ad difficillima Sacri Codicis loca emuniat; quam hiulca in multis, quam incerta, quam imbecilla, quam infirmis ſubnixa tibicinibus; tum demum deprehendere cœpi atque animo ſeſe ingeſſit meo, poſtquam quatuordecim annorum in hocce eruditionis genere, aſſiduus atque improbus labor, hunc mihi ſtudiorum curarumque reddidit fructum, ut nulla amplius ſine ratione valeret auctoritas, ut nulla diutius adſtrictus neceſſitate, libero judicio, in ea inquirere fundamenta potuerim, quibus Doctiſſimi quique, atque ſummæ apud omnes auctoritatis, Hebræam rem nobis explicatam tradidere. Hæc

Digitized by Google

Hæc ſi Vobis aperuero, hæc ſi Veſtris ſubjecero oculis, mentibus, judicio; magna me ſpes tenet, infauſtam illam ac præjudicatam opinionem, quæ tantopere Literarum Sacrarum feliciorem progreſſum moratur atque retardat, quantumvis vetuſta ſit, quantumvis penitus inſita, altiſſimiſque radicibus defixa, labefactatum mea Oratione, & rationum pondere iri, locoque dimovendam, atque ex animis Veſtris evellendam fore.

Adhibete mentes aureſque veſtras, Florentiſſima Juventus, queis Sacra Dei myſteria cordi ſunt. Adeſtote animis, omnes qui adeſtis corporibus, quorum ego frequentia maximo opere delector atque incredibilem lætitiæ capio

Digitized by Google

pio voluptatem. Propitius etiam nobis adesto Deus: Vosque Auditores favete.

Omnis Divinæ ac Sacratissimæ linguæ notitia, postquam ea intermortua est, atque sub Hierosolymorum cinere & ruderibus consepulta fuit, e quinque potissimum fontibus revixit, atque ad posteritatem & nostra permanavit tempora: quinque habet initia & fundamenta, quibus renovata quasi, atque ab excidio & vastitate revocata est: de quibus asseverare sustineo, a quo tempore Lingua Hebræa vernacula esse desiit, ultimaque sensit fata, nullum unquam exstitisse mortalium, qui in Sacro Codice explicando, verborumque significatione ponenda, aliud præter unum ex hisce argu-

Digitized by Google

argumentum, ſuæ ſententiæ firmandæ aut commendandæ, eruere, atque in medium afferre potuerit.

Quicquid ipſi unquam Judæi, & Rabbini tam veteres, quam recentioris ævi, quicquid noſtrorum hominum principes in hocce ſtudio atque excellentiſſimi, de ingenio ac natura Hebraiſmi; quicquid de verborum ac radicum uſu, vi, veris notionibus, ac proprietate, ſcriptis ſuis prodidere, aut vel in Lexicis, vel in Commentariis, vel aliis quibuſvis eruditionis atque induſtriæ ſuæ monumentis ad nos transmiſere, hoc omne ab his petitum eſt principiis, hoc omne hiſce nititur initiis atque fundamentis.

Hæc ut abſque temeritatis & arro-

gantiæ invidia ſub examen revocare, atque in quam plurimis erroris convincere mihi liceat, meo quodam jure poſtulare poſſe mihi videor, quippe qui non mediocrem a primo tempore ætatis in hocce ſtudio operam conſumſimus, atque in eo omnes noſtras curas, omnes defiximus cogitationes, ut quid in hiſce veri ſit, quid falſi, quid certi, quid incerti, exploratum atque perſpectum haberemus.

Sed me repente in ipſo Orationis aditu, ac vix ingreſſum in ſermonem, Veſter in me oculorum conjectus reprimit, atque extremus hicce perorandi locus, in tam vaſto mari difficilem parit curſum, tamque exiguum dicendi concedit ſpatium, ut vix capita rerum

rum attingere, nedum explanare atque juſta diſputatione exponere poſſim.

Non tamen committam, ut qui Vobis ut placeam, officiaque mea profitear, juſſu Generoſiſſimorum Academiæ Quatuor-Virum præſto hic adſum, Omnium Veſtrum juſtiſſimam in me provocem indignationem, faſtidiumque mei ac nauſeam excitem.

Non pigebit partem potius laboris abjicere atque præcidere, quam Vos Oratione intempeſtiva ac in longius protracta occidere; longeque mihi ſatius exiſtimo, mutilum quodammodo, neque omnibus ſuis numeris abſolutum, proferre ſermonem, quam in tantum hocce, ſolenni hoc die, crimen incurrere.

Digitized by Google

Quæ ergo uberius aliquando atque luculentius ſtatutum eſt perſequi, ea nunc leviter perſtricta & prælibata, Æqui cognoſcite & Lubentes.

Omnes qui ab ipſo limine Hebraicas literas ſalutavere, & primoribus quod dicitur labris eas guſtarunt, in comperto habent atque explorato, quantum iis lucis affulſerit ex illarum cognitione linguarum, quas tanquam genuinas filias matris Hebrææ, proximaſque ejus propagines, unanimi conſenſu omnes venerantur Eruditi; earumque collationem uſitatiſſimum ſimul & firmiſſimum præbere fundamentum, ex quo verborum, ac radicum Hebraicarum ignotior uſus, ingenium, & ſignificatio eruatur.

Hoc

Hoc palam faciunt omnia in universum, tam Judæorum quam Christianorum scripta & commentaria, qui millenis in locis vel ad Arabicæ, vel ad Syriacæ, vel, quod eam præ cæteris maxime cognitam, atque in promtu haberent, ad Chaldaicæ linguæ refugerunt auctoritatem, atque ex earum fontibus verborum Hebraicorum hauserunt significationes, earumque fide lexica sua formare atque extruere non dubitarunt.

Et sane absque his si fuisset, æternis damnata tenebris maxima Sacri Codicis pars esset, densisque obvoluta integumentis Hebræa veritas delituisset; conspectumque nostrum refugisset.

Aſt cognoſcite quæſo, & mente præjudicatis opinionibus vacua accipite, quanta ſint Celeberrimæ hujus & omnibus comprobatiſſimæ Hebraiſmum illuſtrandi methodi incommoda, vitia quanta, quanti defectus, & duram in hunc uſque diem ſacrarum literarum ſortem mecum dolete.

Qua ex lingua huncce capere vis fructum, ut ex ejus ingenio, ingenium perſpicias atque expiſcere Hebrææ matris, hujuſque diſpellas tenebras, ejus tibi linguæ natura intima cognita ſit neceſſe eſt, ejus tibi theſauri ut pateant, ejus copiæ omnes, omnes divitiæ ut in promtu ſint, omnemque ejus dicendi vim ac facultatem ut teneas, res ipſa & ratio poſtulant.

Nunc

Digitized by Google

Nunc vero quis adeo hoſpes eſt in hiſce noſtris Orientalium ſacris, cujus adeo circa res noſtras peregrinantur aures, ut ei inauditum ſit atque incognitum, quanto defectu, quanta omnium rerum inopia ac paupertate laborent *Chaldæorum* ac *Syrorum*, adde etiam *Æthiopum* & *Samaritanorum* monumenta, vel potius naufragia, triſteſque reliquiæ, quam anguſtiſſimis incluſa & circumſcripta cancellis hæ linguæ ad nos pervenerint? atque ita cum iis eſſe conſtitutum, ut infinitis in locis luce egeant aliena, nedum ut illuſtrandis Hebraicæ linguæ obſcuritatibus multum inſervire, atque lumen præferre clariſſimum poſſint.

Hiſce tamen Hebrææ linguæ intermor-

mortuis propaginibus, hiſce miſerrimis ejus atque afflictiſſimis reliquiis, quas eadem cum matre perculit tempeſtas, temporumque vaſtavit atrocitas, inhærere coacti fuere quotquot multis inde a ſeculis, ſacris litteris reſtaurandis manum admoverunt; & *Chaldaicæ* præſertim dialecti auctoritate & fide, maximam partem, fundata atque exſtructa hodierna Linguæ Sanctæ cognitio eſt.

Ea autem Hebrææ matris ſplendidiſſima propago, ea ejus ornatiſſima, ut ita dicam, atque ampliſſima filia, quæ nullam unquam temporum ſenſit vim atque acerbitatem, quæ infinitis nobilum ingeniorum monumentis, exculta eſt, atque immortalitati conſecrata,

Digitized by Google

ta, quę incredibili verborum copia, & inexhauſta dicendi facultate, tanquam vaſtum aliquod & immenſum mare ad nos redundavit; quę omnes omnium Orientalium theſauros, divitias, & elegantias, gremio complexa ſuo eſt, atque antiquum Hebraicæ opulentiæ ſplendorem viva exprimit imagine; Ea, Ea, inquam, lingua a per quam paucis in hunc uſque diem cognita, a paucioribus in hoc negotio adhibita, atque in ſubſidium vocata fuit.

Etenim a quo tempore, Divino plane atque immortali Summi Numinis beneficio, Arabum nimis diu reconditi atque abditi theſauri in Europam noſtram importati ſunt, atque expoſiti, incredibile dictu eſt, duo tantum,

aut ad ſummum tres quatuorve exſtitere, qui aliquid alicujus momenti, ad demortuæ matris difficultates ſuperandas, ex iis contulere; vel ſi verum dicere liceat, Unus, Unus exſtitit Bochartus, Vir plane incomparabilis ac ſupra omnem laudem poſitus, qui aliquid opulentæ hujus literaturæ nomine & gloria dignum, in hoc genere, præſtitit.

Cæteri vel non eam in Arabicis ſcientiam adepti ſunt, qua aliquid præſtare poſſent, in quorum numero *Rabbinos* repono, atque aliquos ex noſtris; vel non ea cum cura & diligentia in magnum opus incubuere, qua potuiſſent; inter quos, ita tamen ut debita ei, quę maxima eſt, conſtet laus, *Hottingerum* nomino; vel plerumque, neſcio

cio quo fato, a cultu Linguæ Sanctæ, ad Hiſtorias, Ritus & Antiquitates Orientalium perſequendas, dulci quadam vi abrepti ſunt, atque delapſi; ut *Golius*, *Pocockius*, *Relandus*, aliique Arabizantium principes.

Nullus interim dubito, quin ſi hujus præclariſſimæ linguæ clauſtra Rabbinis reſerata fuiſſent, primiſque Linguæ Hebræę inſtauratoribus aditus ad eam facilis fuiſſet conceſſus, pleniorem longe, atque omnibus numeris abſolutiorem ejus cognitionem nobis reliquiſſent.

Atque ita mihi perſuaſum eſt, cum Magno Bocharto, animoque infixum hæret, hujuſce tandem linguæ ſubſidio & luce fulgidiſſima, Hebræam Lin-

guam omnibus illis obſcuritatibus, cæciſque tenebris, quibuſcum interpretibus colluctandum eſt, liberandam, atque ad ſummum claritatis faſtigium evehendam fore; Quod in antiquiſſimo ſimul & obſcuriſſimo Sacri Codicis monumento, quod ſummis ad hoc uſque tempus ingeniis præcluſum fuit atque impervium, in Jobi inquam libro difficillimo, me palam propediem eſſe facturum, modo ut vita ſuppetat, ſpero confidoque.

Aliud initium ac fundamentum, quo collapſas Hebræorum ruinas excitare aggreſſi ſunt Linguæ Sanctæ cultores, atque ab interitu vindicare, in veteribus jactum eſt Verſionibus, quæ antiquitate ultima venerationem omnibus

bus ac ſui reverentiam commovent: quarum Auctores quo propius afuerunt ab Hebraiſmi florentis ætate, atque ea attigerunt ſecula, quibus Res Judæorum nondum penitus oppreſſæ erant & exſtinctæ, eo uberiori Linguæ Sanctæ notitia abundaſſe, jure optimo credi poteſt.

Ad has ergo frequentes ſe conferunt interpretes, atque ab iis rebus ſuis dubiis præſidium petunt, verborumque exquirunt ſignificationes.

Ampliſſimus hic ſe aperit diſſerendi campus, uberrima dicendi materies, per quam longe lateque exſpatiari mens & lingua, atque divagari poſſent: promiſſorum tamen haud immemor iis ſtandum exiſtimo; itaque quę

mihi de ſecundo hoc loco ſententia ſedeat, quibus hanc methodum vitiis affectam eſſe intellexerim, brevibus expromam.

Atque hic non poſſum, primo, non moleſte ferre, ac quodammodo indignari, quod non dubito, quin ut incongruum valde, atque a vera ratione abhorrens, animis etiam Veſtris & auribus accidat, inſcitia factum eſſe Judæorum, partim ingenerata genti ſuperſtitione, cœcoque impetu, quo ſua amplexari ſolent, oſculari, geſtare in oculis, ut ad illos maxima hoc in negotio delata fuerit auctoritas, ad quos quam minime eam deferri conveniebat.

Chaldæos dico interpretes, vel paraphraſtas verius, quos omnium minime

me ea tenuit cura, ea ſollicitos habuit cogitatio, ut ne alia graviſſima rationum momenta attingam, ut verba verbis exprimerent, vocumque religioſe retinerent ſignificationes, inque ſuam reponerent paraphraſin: ſed totum orationis complexum, eumque, quem ipſi imbiberant, ſenſum, ſolutiſſima quadam ac nullis legibus adſtricta ratione, infinita libertate, in ſuam transfuderunt dialectum; ac commentarii magis, ſuo in labore, quam verſionis uſum ſecuti ſunt.

Hoſce autem tales, quorum ea fuit ratio, id inſtitutum; quis idoneos agnoſcat Auctores? quis teſtes locupletes? ad radicum Hebraicarum, domeſticam & nativam vim, de qua anquiri-

Digitized by Google

rimus, non dico ſubodorandum, quod forte præſtare poſſent, ſed inveſtigandum, ſed ex latibulo & tenebris protrahendum, ſed luce clariſſima perfundendum, atque indubitata quadam ratione conſequendum.

Hac tamen præpoſtera inſtitêre via Judæorum Magiſtri omnes, qui in Sacro Textu offendentes, aut difficultate preſſi, ad hæc ſua Oracula quaſi, ſe conſultum retulerunt, atque ex harum paraphraſium (cæteras verſiones Antiquas, magis ad rem ſuam accommodatas, vel ignorantia præcludebat, vel ſupercilium Judaicum deſpicatui habere jubebat, & abnuere) ex horum igitur *Targumim*, luce crepera & ſubobſcura, verborum ignotorum aliquem

liquem ſaltem arripuerunt ſenſum & ſignificationem, atque in Lexica ſua vel Commentarios conjecerunt, quæ juſto abſque examine, quod laborem in talibus haud illibenter ſubterfugimus & declinamus, & quod meliora dare aut certiora non haberent, per Noſtrorum etiam Lexica & Commentarios omnes pervaſerunt, atque tantum ſibi vetuſtate roboris, tantum firmamenti aſſumſerunt, ut ſedibus ſuis moveri & exturbari poſſe non eſt quod magno opere confidamus.

Interim haud levi conjectura ductus, neque præcipiti abreptus judicio, clara voce, omnibus exaudientibus, confirmo atque aſſevero, quam plurimas, nemini non receptiſſimas

notiones, de quibus cuiquam ne ſuboluit quidem unquam, injuſtas tenere poſſeſſiones, ac in aliena domicilia immigraſſe; quæ res pertenui primum indicio ac argumento patefacta & illuſtrata, poſt, aperto ſuſpicionis introitu, in intima cauſæ admiſſis, luce clarius meridiana comperta atque deprehenſa eſt: ad quod vincendum tam ab exemplis paratus & inſtructus ſum, ut id in oculis omnium (Auribus enim Veſtris, quibus ſecundis ac patientiſſimis utor, eam ad rem abuti non debeo) in oculis inquam omnium, atque in animis aliquando defixurum me eſſe, ſperare auſim.

Intelligo, Aud. Hum. me plurem; quam

Digitized by Google

quam opinio tulerat, orationem abſumſiſſe, ut in Rabbinici hujus inſtituti arcem invaderem quaſi, eamque expugnarem, longiuſque me eſſe provectum hac in cauſa, quam curriculi noſtri ſpatia ferre poſſe videntur.

Sed hoc compenſabo brevitate illius Orationis, quæ pertinet ad reliquum hunc locum, eaque quæ nobis de ceterarum verſionum, Græcæ cum primis momento ac pondere, in hoc negotio, diſceptanda forent, aliud in tempus rejiciemus, atque volente cum Bono Deo, data opera cum Eruditis Viris communicabimus.

Ad Tertium itaque, ab hoc curſu memet inhibens, rei Hebraicæ principium, quod jam dudum ad ſe vocat, & quaſi

abſorbet orationem meam, contento ſtudio veniamus; de tertio inquiramus fonte & origine, unde Linguæ Sanctæ notitia profluxit, atque ad nos dimanavit; & quid hic requiram, quid deſiderem, quam vehementer hac ex parte res noſtræ laborent, paucis habetote.

Hæc ea eſt ratio, qua Hebraiſmi indagatores, intra Sacri Textus parietes ac fines ſeſe coercentes, ex ipſo ejus ſinu quaſi & viſceribus, abditam ejus ac latitantem indolem eruere, atque in lucem retrahere poſſe contendunt, ubi non aliena jam, & externa circumſpicientes ſubſidia, ſed domeſticis & inſitis Textui argumentis & indiciis adhærentes atque innixi, ex ipſa Oratio-

tione, ejuſque ſcopo, vi, ſerie & nexu, totoque adeo complexu & ſenſu, ſimilium denique contentione locorum, quæ cujuſque verbi natura ſit, quod ingenium, quæ ſignificatio colligere atque efficere ſatagunt.

Hunc Hebræa indagandi, atque in ſuis quaſi veſtigiis perſequendi modum, Alii ita cum ceteris illis conjunctum voluere, ut huic principem tamen concederent locum, atque ad alia, ſumma abſque neceſſitate recurri debere negarent: Alii eo ſeſe abripi paſſi ſunt, ut omnes alias rationes, omnes alienas opes, exterminatas ex hoc ſtudio voluerint, atque huic unice viæ inſiſtendum eſſe, ſumma cum contentione pugnarint.

Aſt hoc profecto fuit, eo ſe demittere, unde exitus haud in facili ſit, hoc fuit, ut ait Ille, in dumeta correpere, atque miſerrimis ſeſe implicare anguſtiis, quod ſimili quodam illuſtri demonſtratum demus.

Tune mihi, ſi Livii tantum Hiſtoria, aut Divinæ illæ M. Tullii Orationes, ex Latinorum nobis monumentis ſuperarent, atque ex divitiſſima & graviſſima lingua, hæ tantum reliquiæ, commune, quo litteræ conflagrarunt, incendium evolaſſent; Tune mihi, inquam, aut cuiquam ſano perſuaderes? ea Te repagula, quæ aditum ad earum intellectum obſepirent, ullo abſque ſubſidio, repudiata omni aliena ope, perfracturum, atque ad om-

omnem orationis, non ſenſum ſolum & ſententiam, ſed vim, ſed lumen & elegantiam eſſe eniſurum. Vel ſi hoc; & ſummi illi Scriptores, incredibili ſua ac plane ſingulari felicitate dicendi, in proclivi feciſſent, & Tu Tua induſtria & ſagacitate, eſſes uſque quaque aſſecutus; Tune Te nativam ſermonis Latini indolem, verborum notationes, vocumque profundas ac penitus retruſas origines, penitus veſtigaſſe aut perveſtigare poſſe, gloriari & præ Te ferre auderes?

Et tamen, quod in Europæa nobiſque cognata lingua, quod in finitima, ſenſibuſque noſtris conjuncta oratione, nemo, niſi a ſanitate alienus, ſibi aſſumere auderet; id in lingua Orientali,

tali, in Lingua inquam Orientali, quæ toto a noſtris ſenſibus disjuncta eſt cœlo, quæ a noſtra dicendi conſuetudine immenſum quantum abhorret, quæque ne minima quidem cum ea ſocietate contingitur, Viri Docti ſibi arrogabunt?

Quorſum hæc? Eo Aud. Hum. non tantum ut oſtendam, quam vehementer eorum requiri poſſit Judicium, qui ex una ſola Sacri Textus lectione & meditatione, omne illud lumen hauriri ac percipi poſſe dimicant, quod interpreti præpandi neceſſe eſt, ne præceps ac devius feratur: verum etiam ut ex ſimili hoc, tanquam e ſpeculo, eluceat, ad quem uſque finem Virorum Doctorum, qui in hac palæſtra deſu-

da-

Digitized by Google

darunt, laudabilis impetus conniti ac pervenire potuerit, ubi gradum sistere ipsa Eos rei natura coegerit; præcidam brevi; ut clareat, qua ex parte, Linguæ Hebrææ, ex tertio hoc fonte, lux affundi potuerit, atque etiam reapse affusa sit, quid contra, tenebris adhuc densaque caligine mersum, atque depressum jaceat, æternumque jacere necesse sit, nisi externum, ac foris apportatum lumen, accendat, atque colluστret.

Ea nempe hujus linguæ non minima, neque minimi etiam momenti pars, quæ in verborum versatur originibus, quæ vocum spectat notationes & etyma, quæque veram & nativam, tam vocabulorum, quam locutionum, vim,

ortum, ac progreſſum, ab incunabulis inde uſque, primiſque natalibus, repetit, atque in lucem vindicat.

Quod ne intemperantia quadam, aut libidine, noſtra venditandi, ac protrudendi, impulſi, aſſerere videamur, ſed ut ad Veſtram æquitatem, graviſſimis rationum ponderibus hanc in mentem pertractos nos eſſe conſtet; rem altius repetendum, atque ex intima linguarum indole diſputandum eſſe video.

Omnes, qui, quid humanitas ſit, quid litteræ, norunt, quique vel minimam tenuiſſimamque in iis operam poſuerunt, aut extremis tantum digitis eas attigerunt, ignorare non poſſunt, omnes linguas, eas præſertim, quæ per lon-

Digitized by Google

longos ſeculorum decurſus, per longinqua annorum ſpatia, obtinent, atque per ora hominum volvuntur, ingentes ſubire immutationes; non eas dico, quas victor invehit ſuperbus, qui cum Jugo in cervicibus collocato, linguæ etiam frena moderari poſtulat, atque ſermonem ipſum ſub ſuam quaſi ſubjungere vult ditionem; neque de iis etiam loquor, quas ex nimio cum exteris commercio, ſocietate, & conſuetudine, tanquam maculas aliquas fœdaſque ſordes, ſenſim ſine ſenſu, omnes ſibi contrahunt linguæ; ſed de iis mihi ſermo eſt mutationibus, variationibus, alterationibus, inclinationibus, transformationibus, revolutionibusque, quas ipſe continuus parit u-

ſus, quas longa procudit & propagat dies, quæque ex ipſa, ut ita dicam, ſcaturigine cujuſcunque linguæ ebulliunt; quarum omnium aquæ, & manantes rivuli, id eſt, verba ſingula, dictioneſque integræ, non ſecus atque in fluminibus animadvertere licet, multos per mæandros, ſinus, flexioneſque, pedetentim a prima deflectunt origine, ac tam longe ſæpe vetuſtate dilabuntur & devolvuntur, ut fontis ſui memoriam deperdidiſſe, ac eluiſſe videantur. Quod quidem tantum abeſt ut depravatio aut corruptio linguæ debeat cenſeri, ut contra, ea demum perfectiſſima, atque elegantiſſima, jure audiat merito, quæ per maximas, hoc in genere, pertranſierit

rit converſiones inflexioneſque, dum modo puræ ſint, atque naturam originis referant; hinc enim flumen exſiſtit & lumen Orationis, hinc ſumma enitet facundia, dicendique reſplendet vis, gravitas, & majeſtas.

Quæ quum ita ſe habeant, fieri profecto non poteſt, quin ſeculis labentibus, infinita omnibus in linguis verba, aliud nunc oſtendant, aliud ante ſignificarint; aliud in fronte quaſi & in uſu promtum habeant, ac præ ſe ferant, aliud in ſinu clauſum & reconditum tegant; præſertim quum ita linguarum fere ratio comparata ſit, ut ſignificationes derivatæ & tranſſumtæ primitivam ſignificationem, creberrimo ſui uſu, obru-

ant atque oblitterent, ac ſæpe ne veſtigia quidem originis ſuæ reliqua eſſe patiantur: quod ſi exemplis, ex Græcorum aut Romanorum lingua depromtis, adſtructum dare vellem, vererer, ne apud Viros, tam in luce Fori & Reipublicæ, quam in Literarum otio & umbra, eruditionis gloria & laude ſumme conſpicuos, graviſſime offenderem, ac nimis quam de Veſtro judicio A. H. diffidere viderer.

Quum itaque hoc linguarum omnium natura ipſa & ingenium ferat, cum hæc ex earum indole ſponte fluant ſua; quis neget, idem in Hebræa accidere debuiſſe? atque eo quidem magis, quod lingua hæc, ut antiquitate,

Digitized by Google

tate, ſic longinquitate etiam, & duratione, ceteras omnes facile prævertat, longoque poſt ſe relinquat intervallo, quippe quæ cum ipſis mundi primordiis nata, eique coæva, antediluvianiſque celebrata temporibus, per immenſa deinceps ſeculorum ſpatia, ad ſeram prodita & propagata eſt poſteritatem, donec in captivitate Babylonica, ipſa cum urbe ac domicilio imperii, ſuis quaſi ſedibus eſt revulſa, atque in exilium deportata.

Quæ cum alta perpenſaverimus mente, fieri non poſſe facile judicabimus, ut hæ nobis reliquiæ, tam exiles, tam tenues, tam anguſtæ, ſeriſſimis, ut plurimum, temporibus literis conſignatæ, antiquam ac primævam radicum

cum Hebraicarum ſiſtant atque offerant vim, & ingenium; neque ullus dubitationi relictus erit locus, quin in ingenti verborum, in ſacris occurrentium, copia, tranſſumtum, atque a prima ſtirpe deflexum, uſum dominari neceſſe ſit, ad quorum originem, atque initia ultima, adſcendi non poſſit, niſi aliunde lux oboriatur.

Sit ergo Tibi ut aliquando ad id, quod propoſitum erat, deveniamus, ſit Tibi, inquam, tanta acies ingenii, ut per obſcuriſſima quæque penetres, tantæ tibi ſuppetant vires, ut locorum omnium difficultates eluctere, cuncta facillime fluant, atque animi ex ſententia, nuſquam hæreas, nuſquam offendas, nuſquam prolabare, ubique recta

recta collinees, & ſcopum tangas; quo quis eſt qui ſe pertendiſſe, prædicare audeat? ſed ſint iſta; nondum tamen veteris Hebraiſmi inſitam, aut innatam potius, indolem tenere Te, nondum veram & genuinam verborum naturam ac proprietatem eſſe complexum, nequaquam omne ejus ingenium exhauſiſſe, ea quæ a nobis diſputata ſunt, luculentiſſime declarant, quæ tum vera eſſe deſinent, cum judicatum fuerit meridie non lucere.

Nullus dubito A. H. quin omnes æqui rerum arbitri, quique non, tanquam ſaxis, ſic opinionibus adhæreſcunt ſuis, pulcre intelligent, aliena atque foris allata, in Vetuſto Linguæ ingenio veſtigando ac indagando, ope ca-

reri non posse, facemque aliunde præferri necesse esse, nisi sempiternis obscurari malimus tenebris, quæ patefacta, illustrata, atque oculis subjecta, tutissimum nobis aditum ad intima Scripturarum penetralia explicarent.

Hanc facem, literarum Arabicarum lumen accendere posse, constantissima Doctorum hominum tulit sententia, at vero, in quo ingemuisse me meministis, atque Sacrarum Litterarum vicem doluisse, perpaucorum ita tulit ratio & vitæ cursus, ut in hisce conjunctim excolendis ac perdiscendis, aliquam operam, curam, diligentiam, laborem, tempus denique ponerent; longe pauciorum, ut in hanc partem, totam mentem, omnesque

que adeo vires, transferrent & converterent.

Me vero quod attinet, quoad longiſſime reſpicere præterita poſſum, atque juventutis memoriam revocare ultimam, inde uſque repetens, hæc mihi ratio exſtitit, hæc inſtitutio ſtudiorum, ut cum fonte atque origine omnis Divinæ Sapientiæ, Lingua nempe Hebræa, quam pleniſſimam Arabicæ, præ ceteris, linguæ notitiam mihi compararem. ſpei & cogitationis plenus, fore ut tandem aliquando haud pœnitendos laborum perciperem fructus, inque communem Eccleſiæ conferrem utilitatem.

Nec me fefellit; poſtquam enim immortali Generoſiſſimorum atque Il-

Digitized by Google

luſtrium Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorum in me merito, (quibus me immenſum quiddam ac infinitum hoc nomine debere, gratus agnoſco & prædico;) quatuor abhinc annis illa Orientis opima ſpolia, inæſtimabiles illæ atque opulentisſimæ Gazæ, quibus Muſæ ſuperbiunt Batavæ, patere mihi juſſæ ſunt; totumque me in hiſce meis, a teneris, deliciis, per biennium, abdere atque involvere; totum in uberrimos ac abundantiſſimos Arabum fontes ingurgitare, poteſtas facta eſt; atque ex Veteribus hiſce & illibatis divitiis pleno ore haurire: tanta repente lux affulſit, tantum obortum eſt lumen, ut veram antiqui, ac primævi Hebræorum genii inveſtigandi atque e ſuis

e ſuis quaſi latebris eruendi ratio-nem inveniſſe mihi videar; idque non tantum in iis vocibus, quas uno ore omnes difficultatum nodis adſtri-ctas eſſe fatentur; ut *Animalium no-minibus*; in quibus Bocharti, feliciſſime verſata eſt opera, quam grata memo-ria omnes colent poſteri; neque etiam in radicibus tantum obſoletis & de-perditis; aut vocibus rariori ſe uſu of-ferentibus, in quibus Hottingeri hæſit mens & cura: ſed in iis etiam verbis & radicibus, quarum longe tritiſſi-mus eſt uſus, notiſſima & conſtantis-ſima ſignificatio, ad quarum ſtirpem ipſam atque ultimam originem, (nam deflexas a primo fonte notiones in Sa-cris fere obtinere, demonſtratum eſt,)

ſubſidio præclariſſimæ hujus linguæ perveniri poſſe, luculentiſſima, uti credo, exempla, quæ edere paro, declarabunt, ac pervincent.

Magno animo in extremam ingredior cauſam A. H. emerſit enim e vadis jam, ſcopuloſque prætervecta oratio eſt; atque haud difficilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Etenim ad ea ventis, ſpero, ſecundis & ferentibus, delati ſumus principia & fundamenta, quæ fundamenta non eſſent, niſi urgens ad ea compuliſſet neceſſitas, aut ut, quod res eſt, dicam, niſi quidvis potius arripere maluiſſent interpretes, quam ingenuam ignorationis dare confeſſionem.

Itaque verbo rem expediemus, atque

que ſic ex fluctibus hiſce, & ſententiarum jactatione, in tranquillum pervehemur portum.

Duplex præter ea, quæ percenſuimus, ad vocum ignotiorum & quærendas & ponendas ſignificationes, uſitata eſt ratio, quarum altera, in quo pedem figat, habere videtur, altera incertis & vagis nititur conjectationibus, atque fabulo eſt fluidior.

Obtinent hæ fere in ἅπαξ λεγομένοις, iiſque vocibus, quibus, ut loquuntur Rabbini, frater non eſt in ſacris, id eſt, quibus parem non invenias, ex quibus quum ſe ope Chaldaiſmi explicare non poſſunt, attendunt, quam radicem, ex iis radicibus quæ illuſtriores ſunt, & uſu frequenti claræ, obſcu-

ſcurior hæc ſono & litteris proxime attingat; quæ quum aliqua ſimilitudinis ſpecie ſe obtulit, hujus naturam ex illius metiuntur, eandemque huic, quam illa poſſidet, aſſignant notionem. Ita Coccejus, דהם quod apud Jeremiam unico in loco eſt, ad דמם retulit. ישח apud Michæam ſemel lectum, non alia ratione *depreſſionem* dicere, conſtanter creditum eſt, quam quod a שחה ſono & literis non longe recederet; verbo denique להם, binis in locis Proverbiorum ſedem tenenti, *contundendi* notio, invito Salomone, obtruſa eſt, quod cum חלם ſub eaſdem caderet radicales, & quæ ejus generis quam plurima alia ſuppeditant exempla.

Quod

Quod ubi hoc etiam ſubſidium deſit, neque quo ſe vertant habent, ad conjectandi recurritur & ariolandi infinitum campum, ubi alius alia, pro ingenio, ut fit, profert, atque ex intimo augurandi artificio ſua expromit; unde factum eſt ut pleriſque harum vocum, quatuor, quinque, ſex, plures allitæ fuerint ſignificationes, omnes veri ſpeciem præ ſe ferentes, quam ſortem vocabula עטין ſemel, & צמים bis in Jobo, כרכרים in Jeſaja, aliaque, quas heic dinumerare non eſt neceſſe, experta ſunt. Cum quibus omnibus præclarius forte actum fuiſſet, ſi tot interpretamentis fatigata, atque huc illuc diſtracta non eſſent, ſed, ut erant, pro haud intelle-

 ctis

ctis in medio essent relicta, verendum enim est, ne tandem veritas inventa exulare debeat, atque inveteratis opinionibus opprimatur.

Dixissem, nisi me Vestræ fulgor præsentiæ ferijsset, Illustrissimi Proceres, atque de officio commonuisset.

Ad Vos igitur assurgit, & summa cum reverentia Nominis Vestri sese mea convertit oratio, Nobilissimi ac Præpotentes Domini, qui hujus imperii clavem tenetis, qui gubernacula Reipublicæ tractatis & Academiæ.

Munificentissima Vestra manus me ex tenebris extrahit, atque in hac honorum Vestrorum luce, in hoc Celeberrimorum Virorum Collegio, in hoc clarissimo Provinciæ Vestræ ocello collocat.

Non

Non ego lubenter, pro immortali illo Veſtro in me merito beneficioque, vili defungerer munere orationis, non poſſum tamen, quin coram ſplendidiſſima hac corona, quantas capere mens mea maximas poteſt, gratias Vobis agam, habeamque: atque ita, quod reliquum eſt, de me habetote; numen mihi Veſtrum, grave in omni vita ac ſanctum eſſe futurum. Faxit Deus ter Opt. Max., cujus vim ac numen hiſce in terris Vos tenetis, ut Veſtra dignitas, amplitudo, majeſtas, longa perennent ſecula, ut imperii Veſtri ſplendor omnibus gentibus luceat, atque iiſdem quibus cœlum, cœlum hoc immenſum & infinitum, finibus terminetur.

Et Vos mihi compellandi estis, clarissima Orbis Litterati lumina, Celeberrimi Professores, quibuscum Collegii necessitudine sanctiore conjungi, summæ meæ deputo felicitati. Vos ad augenda studia, ac propaganda, magnos natura finxit homines, atque excelsos: Vestra mihi vestigia dies noctesque ante oculos obversabuntur, vestigia non pressa leviter, aut quæ ulla unquam delere & oblitterare possit oblivio, sed fixa ad splendorem & memoriam nominis Vestri sempiternam. Hæc, longinquo licet intervallo, sequentem, ad hæc anhelantem, omnesque tam animi, quam corporis vires intendentem, benevolentia complectimini Vestra; a meque vicissim omnia officii munera expectate. Et

Et veſtri me cura caritaſque tenet, Florentiſſima Juventus, Veſtri præſertim, Cariſſima pectora, qui ad ſpem præcipitantis Eccleſiæ, in Divinæ Sapientiæ cultum incubuiſtis; Vos igitur mea etiam appellat oratio. Diſcite quæſo, me duce & auctore, ipſis e fontibus bibere; ſubvenite, quos generoſior agit Spiritus, Divinæ huic linguæ, cujus ſtudium jacere non poteſt, quin cuncta concidant neceſſe eſt. Ex hujus ſordidiſſimo neglectu, gravi & diuturna ordo noſter flagrat infamia; quæ non ex malevolorum exarſit voculis, ſed graviſſimo ſeverioris & boni cujuſque judicio commota eſt; hanc extinguere, hanc magnifice frangere, atque a vobis veſtriſque

ſtudiis repellere & refutare, omni cura & cogitatione contendite. Hic quid ego, Veſtras ad utilitates, efficere poſſim, malo in Veſtra expectatione relinquere, quam in mea Oratione ponere.

DIXI.

IN-

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ
Quæ ex nova noſtra verſione in lucem proferuntur.

GENESIS.

CAp. 9: 19. Ex his univerſa terra *uterum Excuſſit*, hoc eſt, *prolem fudit*. נפצה Pag. 98,
Cap. 10: 18. Familiæ Canaanis *Exundarunt*, *velut extra ripas diffuſæ*. נפצו pag. 118.
Cap. 18: 23. Etiamne juſtum cum improbo *Rades? eradęs, everres*. תספה p. 367.
Cap. 19: 15. Ne *Radaris* in Urbis hujus iniquitate, תספה p. 367.
Cap. 19: 17. Montana verſus elabere, ne *Radaris*. תספה p. 357.
Cap. 30: 20. *Utrem* mihi meum optima *Agitavit Agitatione* Deus. זבדני זבד p. 101, 102.
Cap. 33: 14. Ego meo commodo *Lotos potoſque Prominabo*. אתנהלה p. 231, 231.
Cap. 47: 17. Eos *Abunde pavit explevitque* pane. ינהלם p. 229.
Cap. 49: 24. Et *veneno Exaſperatis* ipſum jaculis appetivere. ---- At manſit *In Perenni* arcus ejus, & brachia manuum ejus *Agilia fuere*. באיתן p. 252, 253.

EXO-

INDEX

EXODUS.

Cap. 9: 9. Ulcus efflorescens *Purulentissimis Effervescentiis.* אבעבעות. p. 72.
Cap. 10: 2. Ut enarres. ---- *Quid cladium edidero, Quid sanguinis hausero*, in Ægyptiis. התעללתי p. 198. Vel ex alia potestate verbi, *Quid facinorum magnificorum patravero.* p. 221.
Cap. 14: 24. *Et Contabefecit* Exercitum Ægyptiorum. ויהם. p. 140.
Cap. 14: 27. Rediit mare *ad suum Perenne.* לאיתנו. p. 243.
Cap. 15: 13. Duxisti populum tuum *Largiflua Tua Munificentia.* בחסדך. Potentia Tua *Copiose rigatum ut pastor egisti &c.* נחלת. p. 217.
Cap. 23: 27. Terrorem meum præmittam tibi: & *Contabefaciam* omnem populum. המתי. p. 140.

LEVITICUS.

Cap. 19: 10. Vitem tuam non *Secunda vice Hauries.* id est, *racemabis.* תעולל. p. 212.

NUMERI.

Cap. 10: 35. *Dilabantur*, diffluant, *aquarum instar*; inimici tui. יפוצו. p. 120.
Cap. 16: 26. Ne *Radamini* in omnibus eorum peccatis. תספו. p. 357.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 22: 29. Dixitque Bileam asinæ suæ, eo quod *temet Oblectaveris* in me. התעללת. p. 216.
Cap. 24: 21. Tua mansio *Perennis est*, & Nidum tuum in petra posuisti. איתן. p. 254.
Cap. 32: 14. Ecce loco patrum vestrorum surrexistis progenies peccatrix: *Ut Corradatis* amplius *ad æstum nasi* Jehovæ adversus Israëlem. לספות על חרון אף. p. 364.

DEUTERONOMIUM.

Cap. 2: 15. Manus Domini super eos erat, *ad Tabefaciendum eos* e medio castrorum. להמם. p. 141.
Cap. 21: 4. Et deducent Seniores vitulam illam, in *Vallem Perennibus aquis irriguam*. נחל איתן. p. 243, usque ad 248.
Cap. 22: 14. Et imposuit, injecit, ei *cavillamenta* sermonum. A *carpendo* tracta metaphora *sub vocabulo* עלילות. p. 221.
Cap. 23: 23. *Corradam* super eos mala. *vel potius*, *Radere faciam* super eos mala. אספה. p. 361.
Cap. 24: 21. Quum vindemiabis vineam tuam *non secunda vice hauries* post vindemiam. תעולל. p. 211, 212.
Cap. 28: 65. In gentibus illis haudquaquam *Cir cumtremes*; hoc est, *Opulentia afflues*: per figuratam dictionem. תרגיע. p. 305.
Cap. 29: 19. Pax erit mihi, licet ex *secreto* cordis *instinctu*, שררות / ambulavero: *Propterea quod Radendum est irriguum simul cum sitienti.* למען ספות הרוה את הצמאה. p. 364, 369, 371, 372.

Digitized by Google

Cap. 29: 22. Cernent plagas terræ hujus, ejuſque *Excoriationes*, תחלואים/ quas *Excoriando imprimet* ei Dominus חלה. p. 271.
Cap. 32: 22. Ignis *in Naſum meum proſiliet*. קדחה באפי. p. 56 & 59.

JUDICUM.

Cap. 4: 15. Et *Contabefecit* Dominus Siſeram, *&c.* יהם. p. 141.
Cap. 7: 19. Clanxerunt buccinis, & *Excutere* hydrias quæ in manu erant. נפוץ. p. 107.
Cap. 8: 2. Meliores ſunt *Carpturæ poſteriores* Ephraimi, quam Vindemia Abi-Ezer. עוללות. *Duplici poteſtate fætum vocabulum.* p. 212.
Cap. 16: 7. Si vincirer ſeptem reſtibus virentibus, equidem *Attererer*. חליתי. p. 268.
Cap. 19: 25. Prehendens Vir ille pellicem ſuam, produxit ad eos foras: & cognoverunt eam, in eaque *Aquatum deſcenderunt iterum iterumque* totam contem. יתעללו. p. 199-203.
Cap. 20: 45. Fugientes .. *iterum iterumque carpſerunt, hauſerunt*. יעללו. p. 212.

1 SAMUELIS.

Cap. 6: 6. Nonne poſtquam *plurimas Clades Ediderat, plurimum ſanguinis Hauſerat*, in iis; &c. p. 198. Vel, ex alia poteſtate, *Magnifica patraverat*. התעלל בהם. p. 221.

Cap.

Cap. 7: 10. Et intonuit Dominus: -- & *Contabefecit eos*. והמם. p. 141.
Cap. 12: 25. Simul vos, simul Rex vester, *Rademini*. תספו. p. 358.
Cap. 13: 11. Quum viderem, quod *Excuteret seſe* a me populus. נפץ. p. 107.
Cap. 14: 34. *Effundamini* in populum, *id eſt*, cito diſcurrite. פוצו. p. 118, 119.
Cap. 25: 3. Vir durus & peſſime flagitioſus. רע מעללים. p. 221.
Cap. 26: 10. In prœlium deſcendet, & *Radetur*. ונסתה. p. 358.
Cap. 27: 1. *Radar* aliquando per manum Saulis. אספה. p. 358.
Cap. 31: 4. Ne configant me, & *Repetitis Ictibus Hauriant*. והתעללו. p. 217.

2 SAMUELIS.

Cap. 18: 8. Et prœlium *longe lateque* per terram *efferbuerat*. נפוצת. p. 117.

1 REGUM.

Cap. 5: 9. Servi mei comportabunt cedros ex Libano ad Mare, eaſque ego ratibus devehàm mari ad eum quem mihi mittes locum: ibique locorum *Ego eas Excutiam*, Tuque tolles. *i. e. manu & periculo meo liberatas, in tuam tranſdam manum*. ונפצתים. p 97, 98.

Digitized by Google

Cap. 22: 8. Nemo ex vobis mea cauſa *Atteritur. Inſigni figura.* חלה. p. 268, 269.

2 REGUM.

Cap. 13: 14. Et Eliſa *conflictari* cœpit *conflictatione*, qua in mortem *eſſet atterendus.* חלה את חלין למות. p. 269.

1 CHRONICORUM.

Cap. 21: 12. Elige tibi, Aut tres annos famis, Aut tres menſes quibus *Radaris*, *Raſus ſis*, ante hoſtes tuos, gladio hoſtili te aſſequente. נספה. p. 358.

Cap. 31: 10. Et Occubuit Joramus *Excoriationibus* malis, *peſſimis*, *atrociſſimis.* בחחלאים רעים. p. 270.

2 CHRONICORUM.

Cap. 15: 6. Et gens genti colliſa eſt: nam Dominus *Contabefecerat eos* omni anguſtia. המסם. p. 141.

Cap. 16: 11. Et Aſa in pedibus *cæpit Excoriari. i. e. Podagra carnifice afflictari.* יחלא. p. 270.

Cap. 28: 15. Eoſque veſtiverunt, calcearunt, cibarunt, potionarunt, & unxerunt; *& ſic recreatos deduxerunt.* וינהלם. p. 230.

Cap. 32: 22. Et ſervavit Dominus Hiskiam, incolaſque Hieroſolymorum, e manu Senacheribi, omniumque hoſtium: *& tanquam Paſtor gregem, eos recreatos habuit, ac larga potu irrigatos, circumquaque.* וינחלם מסביב. p. 227, 228.

ESTHER.

ESTHER.

Cap. 9: 24. *Ad Contabefaciendum*, & ad diſperdendum eos. להמם. p. 141.

JOB.

Cap. 6: 4. Sagittæ Omnipotentis in me *Stant defixæ:* עמדי/ quarum venenum *combibit*, *exhaurit*, *ſpiritum meum.* שתה רוחי. p. 190, 191.
Cap. 6: 19. Circumſpiciunt *acri & micante acie oculorum.* הביטו. p. 327.
Cap. 7: 5. Induit caro mea putredinem, & *Æſtuantem pulverem:* גוש עפר. Cutis mea *Inhorruit*, & *Vulneribus hiat.* רגע וימאס. p. 311-313.
Cap. 9: 27. Faciem meam *nubilam* mittam, *eamque Serenabo*, *Renidentem dabo.* ואבליגה. p. 44.
Cap. 10: 20. Recedat a me, ut pauliſper *Renideſcam*, *vultum nubilum diſſerenem.* אבליגה. p. 47.
Cap. 12: 19. Qui principes traducit exſpoliatos, & *Perennes*, *i. e. opulentos*, *copioſos*, *beatos*, *omnibus fortunis circumfluentes*, ſubvertit. איתנים p. 250, 251.
Cap. 16: 12. Arripuit cervicem meam & *diffregit me violentius.* יפצפצני. *a rad.* פצץ. p. 115.
Cap. 16: 15. Centonem conſui ſuper cutim meam: & *Hauſtus ſum* in pulvere *cornu meum.* עללתי קרני. p. 197, 198.
Cap. 19: 26. Et poſt cutim meam, *Exederint*, & *pertuſam exſuxerint medullitus machinam hanc*, נקפו זאת

זאת Nempe *vermes;* attamen ex carne mea adſpiciam Deum. p. 338.
Cap. 20: 5. Gaudium hypocritæ ad *Vibramen.* רנץ. p. 315.
Cap. 21: 24. *Loca in quo cameli ejus, gregeſque paſti ac poti procumbunt*, lacte uberant. עטיניו. p. 233-235.
Cap. 26: 12. Robore ſuo *convibrat, inhorreſcere facit*, mare. רנץ. p. 310.
Cap. 29: 20. Gloria mea recens *mecum ſtabat*, עמדי. Et arcus meus in manu mea *Revireſcebat*. תחליף. p. 254.
Cap. 33: 19. Multitudo oſſium ejus *Perennis:* vel *perennium*. איתן. p. 249,250.
Cap. 35: 5. Cœlos *vibrante acie* contemplator. והבט וראה. p. 324.
Cap. 40: 6. *Exundare fac* æſtus, *effervescentias, naſi tui*. הפץ עברות אפך. p. 117.

PSALMI.

Pſ. 2: 9. Ut vas figlinum *Excuties eos*. תנפצם p 107,112.
Pſ. 6: 7. *In Lavacrum* lecti mei *immergor* ſingulis noctibus. אשחה. p. 206.
Pſ. 14: 1. Abominanda faciunt *Molimina ſua temeraria*. עלילה. p. 228.
Pſ. 17: 9. Propter improbos qui me vaſtant, & inimicos *qui cum Flatu ſuper me Tundunt*. בנפש יקיפו עלי. p. 339.
Pſ. 18: 13. A coruſco fulgure coram eo nubes ejus *intu-*

intumuere, efferbuere. עכרו p. 123, 124.
Pſ. 18: 15. Et miſit tela ſua, *fecitque eos; cæſos, Exundare:* ac fulmina jaculatus eſt, *Eoſque Colliquefecit.* ויפיצם ויהמם p. 121, 122, 123.
Pſ. 21: 4. Duces me, mihique *ſiti levandæ Largos Hauſtus procurabis.* Vel ſic: Duces me *Largiter paſtum potumque.* תנהלני p. 226.
Pſ. 22: 18. Nam circumdederunt me Canes: Cœtus maleficorum *violenter pertuderunt mihi, Leonis ad inſtar,* manus pedeſque meos. הקיפוני כארי p. 336, 337.
Pſ. 22: 19. *Vibrant intuentur me,* id eſt, *fulminante acie me contuentur.* יביטו יראו p. 324.
Pſ. 23: 2. Ad aquas *gregibus irriguis & recubantibus cinctas potum me ducit.* על מי מנוחות ינהלני p. 225.
Pſ. 34: 6. Ad Eum *vibrantem aciem intenderunt, & Lumine perfuſi, gaudioque diffuſi ſunt.* הביטו ונהרו p. 327.
Pſ. 35: 20. Non enim pacem loquuntur: ſed ſuper *terræ Concuſſiones* ſtructos dolos meditantur. רגעי ארץ p. 308.
Pſ. 39: 14. Abſiſte a me, ut *Renideſcam, vultum diſſerenem.* p. 47.
Pſ. 40: 15. Qui quærunt animam meam, *Ad Radendum eam* לספותה p. 358.
Pſ. 50: 11. Complector omnes montium volucres: & *quod in agro Emicat,* penes me eſt. שדי עמדי p. 390.
Pſ. 73: 19. *Raduntur,* conſumuntur *præ nebulis,* ספו metaph. *a turbine Radente, & verrente.* p. 370.
Pſ. 74: 15. Tu exareſcere feciſti flumina *Perennia.* איתן p. 243.

Pſ. 77:

Pſ. 77: 12. Concelebrabo *Exantlata* Numini *Molimina*. מעללי. p 221.
Pſ. 77: 13. De *Moliminibus Tibi Exantlatis* meditabor. עלילותיך. ibid.
Pſ. 80: 14. Suffodit eam aper e ſylva: & *Quod in agro Emicat* depaſcit eam. זין שדי. p. 300.
Pſ. 103: 3. Qui *Conſuit* omnes *Excoriationes tuas*. רפא לתחלואיכי. p. 270.
Pſ. 104: 32. Qui *Adnictat* terræ, & contremiſcit. Id eſt, *nictanti fulmine ſtringit eam*. סביט. p. 324, 325.
Pſ. 119: 18. Velo exue oculos meos, & *micante acie deſpiciam*. אביטה. p. 326.
Pſ. 119: 36. Rivos aquarum *Intrant lavaturi* oculi mei. ירדו. p. 206.
Pſ. 137: 9. Beatus qui apprehenderit, & *Excuſſerit* parvulos tuos ad petram. נפץ. p. 107, 111.
Pſ. 141: 4. Ne inclinari ſinas cor meum in rem nequam: *Ad facinora* improbiſſime *Hauriendа*. להתעולל עלילות. p. 221. At LXX. τῷ προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις. Vulgat. *Ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Aliter paulo Arabs. فيجد سببا من الاسباب الي الخطايا *ut reperiat occaſionem aliquam ad peccata*. עלילה Deut. 22: 14. eſt *prætextus*, *cavilla*. Non auſus fui quicquam decernere: rem gravioribus acutioribuſque judiciis permiſi. Nunc locum denuo inſpicienti, aliquid affulget, ex ſ. præced., quod ſupprimere religio eſt. Superior feries ſic habet. *Appone*, *Domine*, *cuſtodiam ori meo*: נצרה על דל שפתי *Ad fores*

res labiorum meorum excubias agito. Iſtas labiorum *fores*, quas in ἄπαξ λεγομένῳ ex affini דלת hic amplexi ſunt plurimi, adjutare poſſet Græcorum figura in ἀθυρόγλωσσος, & σῶμα ἀπύλωτον. Diſplicet interim aliis, qui tentarunt, vel *ad imum labiorum*, vel *ad elevationem labiorum*, vel *quicquid efferunt labia mea*, vel denique, Ad Hausiionem *labiorum meorum.* Hoc a *Coccejo* profectum mirifice blanditur, *ſitulæ* enim, דלי/ pulcre traducuntur ad *labia*, *alterius* veluti ex imo cordis ſermonem *haurientia*, & *effundentia.* De eo alias plura. Nunc quod inſtat. Hiſce itaque *ſitulis labiorum* ne unquam abutatur orat Pſaltes, neve cor ejus inclinetur in rem nequam, להתעולל עלילות ברשע ad ſe immergendum in profundum impietatis, atque *profligatum in morem Hauriendas hauſtiones* cum Viris ſtrenue impiis; id eſt, *eos ſermones* ex alto cordis *exantlandos*, *expromendos*, *exhauriendos*, in quibus delicias agunt improbi, quibuſque ultro citroque nequitiam ſuam fovent, paſcunt, ſatiant; ſemet avide obſcœnitatibus & impietatibus ingurgitantes, eaſque aliis etiam propinantes: in quem ſenſum ſe præbet quod ſubjungitur, *Neve delicias eorum deguſtem.*

Lubet porro, invitante hac occaſione, enucleare עליל Pſ. 12: 7. quod implicat & exercet interpretes. Comparantur ibi eloquia Dei puriſſima *argento conflato*, *ſeptieſque defæcato*, בעליל לארץ. Vulgo, *in operatorio terræ.* R. Salomo, ex notione Thalmudica, *manifeſte.* Aben-Eſra a בעל/ *Domino terræ.* Ultima penitus rejicula: ἰργαλεῖον etiam fundamento

caret: nec video quid magnopere ad rem faciat *fornacem* induci *terream;* quod enim magnus commentator *humanitatem* Chriſti *immaculatam* hinc extundit, paucis ridere potuiſſe crediderim. conſtructio quoque refragatur: denique tota ſeries clamat ארץ *terram* hic ſonare *terrenas fæces ſordeſque*, quæ commode dici poſſunt *hauriri*, *exhauriri*, quum *eliquantur*, & conflando *exiguntur*. Reddiderim itaque, *Argentum conflatum uterum, tertio, ſæpius exhauſta terra: ſeptieſque defæcatum.* עליל eſt actio verbi, & *hauſtionem* proprie exprimit; unde בעליל לארץ nervoſe & eleganter hic poſitum appareret.

Pſ. 144: 6. Vibra fulmen, & *fac exundare eos, cælos:* jaculare tela, *& fac ut Contabeſcant, cæli* nempe. תפיצם והחמם. p. 124, 125, 132.

PROVERBIA.

Cap. 5: 16. Foras fontes tui *Exuberabunt.* יפוצו. p. 118.

Cap. 12: 19. Uſque dum *Nictem*, *oculum vibrem*, ſubſiſtit lingua falſiloqua. ארגיעה. p. 314, 315.

Cap. 13: 15. Bona intelligentia, *ſe facilem præbet & flexilem:* יתן חן At via contumacium *Perennis.* איתן *inflexibilem ſervat & perennem rigorem.* p. 256, 257. Sic Græcus non nemo διαίνων.

Cap. 13: 23. Novellare pauperum *effert* uberem proventum: At ipſa *Subſtantia Raditur* defectu judicii. יש נסחף. p. 359, 360.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 23: 35. Percuſſerunt me, *Nec fui Excoriatus.* בל חליתי. p. 274.
Cap. 25: 12. Monile & *Polimentum.* חלי. p. 281.

CANTICUM.

Cap. 7: 2. Ambitus femorum tuorum ſicut *Polimenta vaginarum regalium.* חלאים. p. 281.

ESAJAS.

Cap. 1: 5. Omne caput eſt *in Excoriationem:* & omne cor *intus computruit.* לחלי דוי. p. 276.
Cap. 3: 4. Dedi pueros principes eorum, & *Impotentiſſime* Dominantur in eos. תעלולים. p. 213, 214.
Cap. 3: 8. *Molimina eorum præcipiti libidine exhauſta* adverſus Dominum, ad oculos Gloriæ ejus *Urendos.* מעלליהם למרות. p. 221.
Cap. 3: 12. Populi mei exactores, *Impotenter Exhauriunt.* מעולל. p. 214.
Cap. 3: 24. Pro cinctu, *capitis & cerebri diſcuſſio.* נקפה. p. 333.
Cap. 5: 30. Et infremet, *Leo Romanus*, die illo ſuper ea *præda ſua*, ut infremit mare: & *Vibranti oculo fulminabit* terram: & ecce tenebræ; anguſtia: lumenque extinctum *fluminibus ſanguinis.*
Cap. 7: 19. In omnibus ſenticetis, & in omnibus *Locis Irriguis.* נחלים. p. 233.
Cap. 7: 20. Die illo attondebit Dominus Novacula mercenaria, per Transfluviales, per Regem Aſſyriæ,

riæ, Caput, & Rubem, atque ipſa etiam Barba *Radetur*. תסגה. p. 351, 352.
Cap. 10: 17. Ab anima ad carnem uſque abſumet, & erit ut quum contabeſcit *Fruſtum carnis in igne crepitans micanſque*. נסס. p. 142, 133.
Cap. 10: 34. Ecce Dominus detruncat ramum violenter, & celſi ſtatura ſuccidentur; altique dejicientur: & *Diſcuſſis cacuminibus contundet* perplexa ſylvæ ferro. נקף. p. 332.
Cap. 11: 12. Expulſi Iſraëlis, & *Excuſſæ oves* Judæ. נפצות. p. 107.
Cap. 13: 15. Omnis *Exſuctus* confodietur; & omnis *Raſus* cadet gladio. נמצא ונספה p. 353-355. Vel alia adhuc verſione. Omnis *ecce deprenſus* confodietur, & omnis *ecce corraſus* gladio occumbet. p. 356.
Cap. 15: 3. Totus ejulat; & *Deſcendit in fletum; lavaturus* veluti.
Cap. 16: 8. Vitis Sibmæa, cujus generoſæ propagines *conſauciarunt* Dominos gentium. חלמו p. 274. Sic ante nos *Coccejus. Vitringa. &c.*
Cap. 17: 6. Et relinquetur in eo, *quod altera vice Hauriri poſſit; ut quum diffracto cacumine excutitur* olea. עללות כנקף זית. p. 212: & 331.
Cap. 17: 11. In die *plagæ multæ cum Excoriatione infligendæ*. נחלה. p. 276,
Cap. 18: 4. Deſidam, & *furtivo lumine micaba* in ſede mea. אביטה. p. 325.
Cap. 20: 5. Conſternati & perplexi ſunt ob Cuſch *Reſpectum ſuum*. Ex indole Vocabuli, *quo micantem aciem evibrabant*. מבטו. p. 327.

Cap.

Cap. 20: 6. Ecce ſic habet *Reſpectus noſter.* proprie, *quo vibrantem intendebamus aciem.* מבט. ibid.

Cap. 21: 12. Si *efferveſcitis, tumetis, tumete:* & ultro citroque diſcurſate. אם תבעין בעין. p. 74, 75, 81.

Cap. 24: 1. Ecce Dominus evacuat terram *lagenæ inſtar bombos edentis:* alliſamque capite ſiſtit *ut aquarum ritu diffluere faciat* incolas ejus. בוקק והפין. p. 120.

